



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Carnis corruptionis causam ostendit, ex qua peccatum sit in anima. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

rum vel carnis, quæ est morbidus quidam affectus, vel languor qui commouet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quæ dicitur manere in carne, non quia in animâ sit, sed quia per corruptionem carnis in anima fit.

Causam corruptionis carnis, ostendit, ex qua in anima peccatum fit. C

Caro enim propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir & mulier sine incentiuo libidinis & concupiscentiæ feruore possent conuenire, essetque thorus immaculatus: iam post peccatum non valet fieri carnalis copula absq; libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est & etiâ culpa, nisi excusetur per bona coniugii. In concupiscentia & libidine concipitur caro formanda in corpore prolis. Vnde caro ipsa quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur & corrumpitur: ex cuius contactu anima cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur & fit rea, id est vitium concupiscentiæ quod est originale peccatum.

Quare concupiscentia dicitur esse in carne.

Quod propter corruptionem carnis quæ est causa peccati, dicitur peccatum esse in carne. D

IDEOQVE ipsum peccatum dicitur manere in carne. Caro ergo quæ in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, sed causam. In eo ergo quod seminatur, corruptio est: in eo autem quod nascitur, concupiscentiæ vitium est. Vnde Ambrosius de verbis Apostoli sic ait: Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed priuatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaq; corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens diuinæ sententiæ datæ in Adam: cuius consortio anima maculatur peccato. Per id ergo quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne: hæc est lex.

In comm. 7. c. ad illud. S. i. e. im. Ad Rom. in co. 4.